



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Reverdissimo Et Illvstriss. Domino, D. Carolo A Basilica Petri Episcopo
Novariensi, Ripariae Lacvs S. Ivlii, Gaudianiq[ue] Comiti: ac Sorisii domino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

REVERENDISSIMO
ET ILLUSTRISS. DOMINO,
D. CAROLO A BASILICA
PETRI EPISCOPO
NOVARIENSI,

RIPARIAE LACVS S. IULII,
Gaudianiq; Comiti: ac Sorisii domino.



Dominicus Zucchinettus presbyter
Novariensis.

Ncredibiles planè sunt labores, quod præ-
sertim te non fugit Carole Praesul am-
plissime, quos Carolus ille Borromaeus
S. R. Ecclesiae Cardinalis Mediolani-
que Archiepiscopus in Ecclesiastica disciplina promouen-
da, hominumque moribus, ad rectam officij Christiani
normam reuocandis, suscepit. Sed haud scio, an illu-
striores per se, atque vniuersae prouinciae utiliores, vlli
fuerint, quam quos in prouincialibus Synodis cogendis,
earumque decretis conscribendis posuit. Nam quae dein-
ceps morum mutatio secuta est in Ecclesia, atque adeo
prouincia Mediolanensi, ab eo tempore, quo ille vir eter-

na dignus memoria, ex Tridentini Concilij decreto Episcoporum Concilia cogere cœpit; ea ferè uniuersa sanctissimis hisce Conciliorum decretis accepta referri debent. Maiorem enim & in administrandis sacramentis curam, & scientiam; & in suscipiendis, animi pietatem, ac religionem, sanctiorem diuinorum officiorum concelebrationem; accuratiores cœrimoniarum ritus, cultiores, ac nitidiores templorum ornatus, ecclesiasticæ disciplinæ restorationem, quæ omnia longo post tempore, quasi postliminio restituta fuere, hinc ferè profecta fuisse dixerim. Illud tamen in hoc tanto bono perincommodum accidebat: quod succrescente successu temporis librorum numero, magna saepe cum difficultate decreta, ubi opus erat, in tot voluminibus inueniebantur; præsertim cum eadem de re, non uno in loco, ac volumine agere, & aliquando etiam, exigente id temporum conditione, nonnulla immutare necesse fuerit. Cui sanè incommodo, ut erat totus ad omnia, quæ Dei gloriam animarumque salutem spectabant, intentus, occurrere decreuerat. Præsul vigilantissimus, quemadmodum in decreto ea de re sancito apparet: & ipsemet studij multum, operaque, ut optimè tu operis adiutor, nosti, in eo posuerat; sed optimum illius consilium mors interrupit. Cum autem tam utile, ac necessarium opus, iam multos post eius mortem annos desiderari uiderem; in eo studio, quicquid otij, ac temporis ab animarum cura, suffurari poteram, qua potui diligentia posui; neque id infeliciter omnino, ut mihi quidem uidetur, successit. Sed opus
tamen,

tamen; quòd nec meo iudicio in re præsertim mea fide-
rem, neque cuius sententiam rogarem magnopere ha-
berem, decreueram apud me suppressere; cum tu Præ-
sul optime ad amplissimæ huius Ecclesiæ Nouariensis
administrationem, Dei prouidentia, atque, ut multo-
rum est fides, eiusdem Caroli Cardinalis precibus, ma-
ximo nostro bono, incredibili bonorum gratulatione, vo-
catus es. Cui, cum hanc Conciliorum quasi compactio-
nem obtulisset, rectè me facturum existimasti, ac po-
tius iussisti, ut post nonnulla laboris additamenta ad
communem omnium utilitatem illud euulgarem; quip-
pe qui opus huiusmodi, uti non semel in familiaribus
colloquijs affirmasti, animo iam, & cogitatione efficien-
di cupidus agitabas, ut Ecclesiæ tuæ id afferres adiumen-
ti, virisque amplissimis efflagitantibus satisfaceres.
Eam vero in tuo potissimum nomine apparere uolui: cui
enim labor hic, qualis, qualis is demum sit, Caroli Car-
dinalis insigne monumentum debebatur, nisi Carolo
Præsuli, quem Carolus ille dum vixit, tamquam filium
valde dilectum consiliorum habuit socium, atque admi-
nistrum; cuiusque opera, cum in his ipsis concilijs com-
pingendis, tum in alijs frequenter negotijs, atque illa
præsertim ad Philippum Hispaniæ Regem potentissimum,
legatione, optatissimo successu est usus, & uita functus
uirtutum suarum reliquit imitatore, scriptoremque
grauissimum? Quare munusculum hoc eo arbitror ani-
mo, & respicies, & recipies, quo filij parentis optimi
demortui pignora intueri solent. *Mihi uerò satis su-
perque*

perque fuerit. Signum aliquod erexisse, in quo aeternis in
uia notis Borrhomæi præclarè statuta uidere poteris, ut
eiusdem uirtutes, ac præclarè facta in animo altè defi-
xa, semper intueris. Deus te seruet, & diuinarum
opum muneribus expleat. Pernati Kal. Iunij, Anno
salutis. M D XCIIII.